



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 72. Et statim Gallus cantavit. v. 27.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

tamen acquisivit, vacantem de iure curiam mentiendo occupavit, quam postea melius magister abnegatus, sed recognitus & dilectus donavit dicendo pasce, pasce pasce. Ioan. 21.

**O** Filij hominum, non possum negare, quod sæpe aliquem temporalem fructum speratis ex falsitate, & etiam aliquando impetratis. Verum tamen est, iste tam exilis est, comparatione utilitatis, quam ex veritate, quæ Christus est, sperare poteratis, quam exilis est domus Caiphæ corruptibilis, comparatione impetii facti, quod Petrus in totum mundum à Christo postea accepit. Ponite ergo hoc in cordibus vestris, nolite obsecro diligere vanitatem, nolite querere vel observare mendacium, nihil illud vobis misere apparenter prodest. ex Petro discite quid melius queratis & teneatis.

§. 72. Et statim Gallus cantavit. v. 27.

Mira Dei bonitas & providentia. Providentia, quod negationis futuræ tempus tam accurate præscivit & prædixit concursurum cum casu illi cantu galli; bonitas, quod peccantem Petrum tam accurate servavit, non quidem ne nihil peccaret, sed ut non perseveraret & inlorderet. necesse erat Petrum venire ad Aulam utramque Pontificis, ut legitime deponendis succederet, & tamen aliter quam illi tenuerant succederet, nempe in spiritu & veritate, & virtute. & quomodo in virtute succederet Petrus sine humilitate, quæ est basis omnium virtutum. Ecce Dominus usus est malitia ancillarum & ministrorum aula Pontificiæ veteris, & in ipsa aula utraque altissimum Petro fodit fundamentum, cui tanta moles superimponi posset, quæ de novo consurgeret ad cælum.

**G**ratias ago tibi Domine Iesu pro universis beneficiis tuis S. Petro collatis, quia ista non soli ipsius personæ deputasti, sed toti Ecclesiæ Catholicæ seu Romanæ, cuius fides & olim & nunc & porro annuntiat in universo mundo, nam dum mors Domini per Liturgiam seu Missam paulo solennius annuntiat, fidei symbolum cantando, etiam fides illius Ecclesiæ annuntiat.

§. 73. Adducunt ergo Iesum à Caipha in pratorium. v. 28.

Hactenus ex cænaculo seu monte Sion itum est in Hortum Olivæ, per 1500. passus, & æque magno fere intervallo, relictum est iter istud usque in domum Annæ, & ab ea ad ædes Caiphæ 330. passibus. ex his porro ad pratorium Pilati passibus mille proceditur, & postea porro ad Herodis Regiam per 350. passus ibitur & totidem redibitur. Denique ex Pratorio ad locum supplicij procedetur 1321. passu.

Prato-  
Habet